



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXXVIII. An omnes Angeli in sanctitate, & iustitia æquali fuerint
creati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ob quam non debeat Deum credere illis omnia secreta sua. Aut si interpretemur verbum Hebraicum *תהלה* *Tahalah*, lucem (vtrumque enim significat) sensus est, cum angeli ex se nihil sint, scientia & lumen eorum à Deo est, qui eis sua mysteria reuelat. Quod si cum negatione legamus hoc modo, Et in Angelis suis non ponet lumen, ita, vt prior negatio, quæ est in priori parte illa, Ecce seruis suis non credit, repetatur, sensus eodem redit, ac si dicat, Et Angelis suis non reuelauit abscondita consilij sui: quod est, non ponere in illis lumen, nempe reuelationis. Hic autem sensus optime coheret cum præcedentibus, dixerat enim: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut scilicet suo purior erit vii? ac si dicat, minime. Id quod sequentibus verbis optime confirmat hoc modo, Ecce seruis suis non credit, &c. quibus ostendit creaturam etiam spiritualium, vt Angelorum, imbecillitatem comparatione Dei: cum ipsis etiam Deus non committat secreta consilia sua.

19. Ad primam vero rationem respondeo, primum parentem fuisse in gratia conditum, vt c. præced. probatum est. Quare mirum esse non debet, si dicamus, Angelum etiam in gratia fuisse creatum. Neq; vero August. loco allegato in prima ratione dixit, beatorem esse iustum hominem in hoc statu, quam primum parentem in paradiso quoad spem futuræ vitæ, vt falso referunt auctores prioris sententiæ, sed dixit hoc modo: Quantum itaque pertinet ad delectationem presentis boni, beatior erat primus homo in paradiso, quam quilibet iustus in hac infirmitate mortali; quantum autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibuscumque cruciatibus corporis, cui non opinatione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus in magna illa felicitate paradisi. Hæcenus August. quibus verbis non comparat quemcumq; iustum cum primo parente, quia primus parens non habuerit gratiam & sanctitatem coram Deo, quam diu fuit in paradiso, sed eos soli comparat, quod spectat ad certitudinem de futura perseuerantia in bono, & in felicitate. Neque etiam asserit, hominem iustum in hac vita esse certum de sua perseuerantia, de qua non fuit primus Adamus, sed eos iustos huius status esse beatiores, qui etiam si in cruciatibus sint, reuelatione tamen didicerunt & certi sunt de futura sua perseuerantia: nec enim tam curat August. eo loco de statu delectabili & iucundo omni carenti molestia, quam de iustitia, & de certitudine perseuerantia: in ea ad constituendum hominem beatum.

20. Ad secundam rationem respondeo, quamquam angelus fuit creatus in gratia, non cognouisse euidenter statum suum; quia mysteria gratiæ nō sunt ei euidenter nota, habuisset tamen certissimam notitiam illius; aut si habuit euidentiam, quia euidenter cognoscere posset actum charitatis, quo Deum prosequeretur: tamen cum non habuerit charitatem & dilectionem Dei ex clara ipsius visione, non ita firmus erat in charitate, vt ab ea dimoueri non posset amore contrario: quia efficacius illi poterat representari propria excellentia, eo, quod per fidem reuelabatur diuina bonitas, quæ ipsum ad charitatem Dei mouebat: sola autem charitas orta ex visione clara bonitatis Dei, quæ sic apparet sub omni ratione boni, etiam in exercitio ipso, ab amore contrario superari non

potest, vt disput. 231. cap. 4. videbimus, ad tertiam rationem, quare post primum meritum non statim demones acceperunt gloriæ beatitudinem; & vtrum boni post vnum meritum illam fuerint consequuti, an post plura, dicemus disput. seq. cap. 10.

DISPUT. CCXXVIII.

An omnes angeli in sanctitate & iustitia æquali fuerint creati.

Angelos propria operatione ex gratia dispositos fuisse ad iustificationem, verior sententia est, 6. 1.

Angeli conaturali dignitate perfectiores maiorem à Deo gratiam consequuti sunt, c. 2.

Prædicta doctrina quibusdam notationibus illustratur, c. 3.

CAPUT I.

Angelos propria operatione ex gratia dispositos fuisse ad iustificationem, verior sententia est.

DE inæqualitate gratiæ Angelorum disputat S. Doctor in hac quæst. art. 8. de qua nos in hac disput. tractare decreuimus, quod materiæ præcedentis disputationis connexa videatur: Primum autem de dispositione Angelorum ad gratiam. Circa quam inter eos Theologos, qui docent, angelos in sanctitate & iustitia apud Deum creatos fuisse, non satis certum est, an dispositi fuerint Angeli ad iustificationem suam propria aliqua operatione ex auxilio gratiæ prouenienti, ex cuius dispositionis inæqualitate definitur soler ipsius sanctitatis & gratiæ gratum facientis inæqualitas. Nam Capreol. in 2. d. 4. q. 1. art. 3. ad 1. contra 4. Capreol. conclus. & ad 1. contra quintam, & aliqui Thomistæ affirmant, Angelos quidem in primo instanti sui esse, fuisse iustificatos, sed nullam habuisse dispositionem ad iustificationem. Eorum vero ratio est, quia sicut docet S. Thom. q. 16. de malo art. 4. Ad 3. S. Thom. operationes Angeli talem inter se debent ordinem habere, vt prius sint naturæ & sine gratia quam supernaturales seu ex gratia: atqui nulla operatio non procedens ab auxilio gratiæ potest esse dispositio ad gratiam, vt manifeste probauimus superius disput. 91. cap. 11. & seqq. ergo si Angelus in primo instanti fuit creatus in gratia gratum faciente & sanctitate, illam non habuit ex propria dispositione: quia tunc non potuit habere aliam operationem, quam naturalem, & non ex auxilio gratiæ. Huic sententiæ fauere etiam debet Alexander, si defendere velit, Angelum in gratia fuisse creatum: vtrumque enim problematice docet: ipse enim iuxta doctrinam, quam etiam sequitur 2. p. q. 29. m. 1. art. 7. affirmare debet, in primo instanti non potuisse Angelos operari, quia, vt docet in solutionibus argumentorum, non potest eadem res in eodem instanti produci & operari. In quo ex parte amplectitur ipse sententiam Hugonis de S. Victore in summa scientiarum, tract. 2. cap. 2. vbi docet, nullam rem posse libere operari in primo instanti sui esse. Id ipsum cogeretur asserere Henricus, si diceret Angelos fuisse in sanctitate & iustitia creatos: quia etiam sentit quod lib. 8. q. 10. Angelum non potuisse in primo instanti peccare, nec mereri, nec libere operari: si autem habuisset aliquam dispositionem, debuisset esse libera: de quorum opinione quod attinet ad liberam operationem in primo instanti rei, diximus supra disput. 68. c. 6. & dicemus disput. 236. c. 3.

Ego

nempe Paulo, se accepisse testatur: & c. 7. de prima hierarchia iterum inquit, *Iure igitur ac merito celestium hierarchiarum prima à summis excelsissimisque naturis administratur.* Adde etiam Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 16. parum à principio, inter Angelos iuxta proportionem eminentiæ inter seiplos sanctificationis mensuram ab Spiritu sancto accepisse. Neque vero hæcenus legi, qui oppositum defenderet. Quare alia diuersa gratiæ distributio inter Angelos seruata est, quam inter homines. Nam inter homines multi sunt nobilioris indolis, & ingenij, quibus minus gratiæ Dei communicatur, vt di putatione 9. notatum est. An vero Angelus primus, qui cecidit per peccatum, fuerit natura sua omnium præstantissimus, ac proinde maiorem à Deo gratiam iustificationis acceperit, videmus infra disputat. 23. cap. 2. hanc vero sententiam de distributione gratiæ non solum veram existimo in Angelis, qui permanserunt, de quibus videntur loqui Dionys. & Basil. sed etiam de ijs, qui ceciderunt: tum quia Damascen. de omnibus vniuersum videtur loqui: tum etiam quia non videtur maior ratio de ijs, qui perseuerarunt, quam de ijs, qui ceciderunt: saltem, quod attinet ad primum instans suæ creationis, in quo omnes iusti fuerunt, Deumque dilexerunt, & vitam æternam promeriti sunt: eam in sequenti instanti malos Angelos minus auxilium Dei præueniens habuisse, quam bonos illi saltem dicere debent, qui asserunt homines, qui non responderent Deo vocanti, minori gratia præuentos fuisse, quam eos, qui responderent: de quo disp. 98. satis superque dictum est.

CAPVT III.

Prædicta doctrina quibusdam notationibus illustratur.

Ceterum, vt præcedentem doctrinam Patrum & Scholasticorum sincere intelligamus nec aliqua nobis sit occasio erroris, quædam obseruatione digna notanda sunt. Primum est, non tantum Deum absque vilo debito donasse gratiam Angelis, verum etiam ex parte ipsorum nihil dignum, nihil congruum præcessisse, quod fuerit causa donationis gratiæ. Nam ita Deus dona illa contulit, vt non respexerit donum creationis tanquam causam, sic enim gratia iustificationis primo auxilio vsque ad vltimū haberet rationem retributionis, non autem misericordię, aut liberalis omnino donationis, vt deducebamus disp. illa 91. cap. 15. quod tamen, vt ibidem notauimus, est contra rationem diuinæ gratiæ, qua creatura rationalis iustificatur.

Secundo doctrina Caietani 2. 2. q. 24. art. 3. circa solutionem 3. examinanda est. Attingitur Caietanus, charitatem fuisse Angelis distributam ex Deo voluntate tanquam ex causa per se: quia licet Angelo perfectioris naturæ, qui ex se perfectius operatur, & conatur, data fuerit maior gratia: hoc fuit (inquit Caietanus) per accidens, eo quod Deus sic voluit dignum facere conatum Angeli perfectioris, vt esset conueniens dispositio ad maiorem gratiam iuxta proportionem, qua Angelus superior perfectius conatur, quam inferior: potuisset tamen Deus si voluisset conatum alicuius Angeli magis dignum efficere ad maiorem gratiam, quā conatum superioris. Hæc tamen doctrina explanatione indiget. Primum quidem, si intelligat

Vázquez in 1. p. tom. 2.

Caietanus naturales Angeli conatus, & opera digna effectu per fauorem & acceptionem Dei secundum proportionem naturæ vnius Angeli cum alio, vt essent dispositiones ad gratiam, seu charitatem, absurda doctrina est, siue nomine gratiæ intelligas habituales, qua fit homo iustus, & renuntuntur peccata, siue primam vocationem gratiæ operantis, quia nulla actio ex pura natura potest esse digna, aut congrua dispositio, vt impetret gratiam, sic enim tolleretur vera ratio gratiæ, vt di putatione illa 91. cap. 15. satis ostensum est. Deinde, si Caietanus intelligat, conatus naturales Angeli dignos effectus ad maiorem, aut minorem habitum gratiæ & charitatis iuxta proportionem naturæ vnius Angeli cum alio hoc modo, vt perfectiorem Angelus, qui perfectiorem habet naturam, maiori vocatione gratiæ fuerit præueniens, vt virtute illius efficacius operaretur, & ita eius consensus esset magis congrua dispositio ad gratiam, seu charitatem habituales, eius sententia vera est; nam vltima illa dispositio, de 1. cap. huius di putationis dictum est, siue præcedat infusionem habitus ex parte efficiētis, siue ex parte efficiētis sequatur infusionem habitus, & ex parte passi præcedat receptionem habitus, vt 1. 2. quæstion. 113. artic. 8. dicemus, semper fatendum est excitari in nobis, & in Angelis ex aliqua congrua cogitatione, quæ ad gratiā pertinet operantem seu præuenientem, & ex illa etiam cooperationem arbitrij oriri, vt ita consensus liber sit ab utroque cooperante, & non ex solo arbitrio. Ceterum, vt supra dicebamus, nullo modo concedere possumus discursum gradum & excellentiam naturæ angelicæ fuisse causam vilo modo imperatoriam, aut disponentem, vt hæc potius vocatio, quam illa conferretur. Diuisit autē Deus Angelis eodem modo, atque hominibus has vocationes, sciens prius quid vnusquisque cum hac, vel cum illa esset facturus, sicut disp. 88. de hominibus dictum est.

Tertio referam sententiam quorundam Theologorum nostri temporis, qui de dispositione ad gratiam in Angelis, meo quidem iudicio, non recte sentiebant. Asserebant enim, Angelos fuisse iustificatos ex dispositione solius liberi arbitrij, absque dono Dei: quia putabant, gratiam recipere & retinere, non esse in Angelis donum Dei: idemque de gratia donata primo homini in statu naturæ integræ opinati sunt, quare & mensuram iustificationis, & charitatis habitualis ex mensura dispositionis ex solo libero arbitrio procedentis desumendam esse dicebant. Ita quidem philosophabantur iunxi auctoritati Aug. cuius mentem non sunt assequuti. Horum igitur sententia de quacunque gratia intelligatur absurda est. Primum, si loquamur de gratia, & charitate habituali, & de vltima dispositione ad illam, quæ Scholastici ponunt, absque errore dici nequit, disponi posse Angelū ex proprijs viribus ex solo dono creationis, sine vilo alio dono gratiæ Dei, quia vltima illa dispositio dicitur ab omnibus actus charitatis, hic autem non potest esse ex solo libero arbitrio, nam charitatis affectum etiam in Angelis, & natura integræ donū Dei esse nemo dubitat. Imo vera Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 16. parum à principio, docet, Angelos non potuisse dicere illud, *Gloria in excelsis Deo, &c.* nisi accepta ab Spiritu sancto potestate, hoc est, gratia: quia nemo, etiam Angelus dicere

H h h

potest,

potest, Domine Iesu, nisi in Spiritu sancto. Quis ergo audeat asserere, potuisse Angelos ex proprijs viribus sine Dei gratia distincta à dono creationis Deum diligere, & hac dilectione ad iustitiam habituales recipiendam disposi.

Testimonium autem, quo aduersarij nituntur, est *August. libro de correptione & gratia cap. 11. post medium*, ubi ait, primum hominem non indiguisse auxilio, ut reciperet bonum, nempe sanctitatis: cum igitur eiusdem virtutis sit Angelus, nec ille etiam indigere debuit auxilio gratiæ ad hunc affectum. Verum, ut diximus supra disputatione 98. capite 2. & dicemus 1. 2. questione 109. artic. 10. ideo dixit Augustinus primum hominem non indiguisse gratiæ auxilio, ut reciperet bonum sanctitatis: quia iam à primo ortu illud habebat: & ita solum restabat, ut indigeret auxilio ad retinendum & perseverandum. Nos vero, quia illud perdidimus, indiguisse etiam auxilio, ut illud bonum restitutum reciperemus.

Deinde absurdum etiam esse asserere, ad hanc gratiam iustificationis retinendam, & in ea perseverandum non indiguisse Angelos auxilio peculiari gratiæ Dei, sed ex proprijs viribus id efficere potuisse. Nam & in integra natura perseverantiam esse donum Dei, de finit Concilium Arausicum secundum Can. 19. quod si Angeli propria virtute perseverare possent, in seipsis gloriari possent, nec dicere possemus eis illud iad Cor. 4. *quid habes, quod non accepisti?* quod quidem sicut de hominibus, ita etiam de Angelis intelligendum merito putat *Anselmus libro de casu diaboli &c. i. vsque ad tertium*. Denique rationes, & testimonia omnia, quæ probant, necessarium esse auxilium Dei hominibus, ut perseverarent, probant etiam, in Angelis necessarium quoque fuisse. Rationes autem sunt desumptæ ex oratione, qua non solum homines, sed etiam Angeli postulare vtiliter poterant auxilium gratiæ ad perseverandum, similiter agere poterant, & debebant Deo gratias pro perseverantia ipsis concessa. Ex vtilitate autem orationis, & gratiam actionis recte colligimus necessitatem gratiæ in 1. 2. q. 109. artic. 2.

Si autem recentiores prædicti loquantur de gratia non habituali, sed quam vocant actualem cum dicunt, Angelos non indigere auxilio gratiæ Dei ad recipiendam gratiam, aut loquuntur de gratia operante, aut præueniente, prout recipitur ante consensum, ut disputatione 88. satis explicui, & ad hanc recipiendam recte dicunt, non esse necessarium aliam gratiam, quia ipsa vocatio à solo Deo collata sine nostro consensu, in nobis recipitur sine alia gratia. Aut loquuntur de recipienda hac gratia per consensum ut plane videntur asserere, & eorum sententia absurda est, quatenus asserunt Angelum posse recipere gratiam, hoc est, illi consentire ex proprijs viribus absque ullo auxilio ipsius gratiæ; nam qui semel vocatus à Deo est, non potest vocationi consentire, nisi virtute ipsius vocationis cooperantis, ut late ostendimus supra disp. 97. cap. 6.

Ceterum prædicti Doctores afferunt pro se *Augustinum libro de correptione & gratia cap. 11. ubi de primo homine (& eadem ratio videtur de Angelis) dicit: Dedit ei adiutorium, sine quo in ea (scilicet iustitia) non posset permanere si vellet: ut autem vellet, in eius reliquis arbitrio: censet igitur Augustinus, retinere gratiam, opus esse solius arbitrij. Re-*

spondeo, Augustinum non dixisse, esse solius arbitrij, sine auxilio gratiæ, sed relictum esse libertate arbitrij, quod quidem recte dicitur, etiam si fiat ex auxilio gratiæ: nam consensus, quem gratiæ præstamus ex auxilio ipsius, in libertate actionis posuit est, quandoquidem & ipsi gratiæ respondere possumus.

Obijciat iterum quis ex eodem Augustino in eodem cap. 11. circa finem verba illa, *quod erat autem liberius libero arbitrio, quando non potuit perire peccato, quæ futura erat homini, si non esset angelus, si non esset merces meriti, nunc autem per peccatum perditur bona merces, in ipsi, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futuri erat*. Ex quibus hoc modo posset argui, argumentari non posse peccare, solum committi in beatitudine: ergo de beatitudine dixit Augustinus futuram fuisse homini in natura integra mercedem, sicut etiam Angelis fuit, si perseverarent: nunc autem homini post naturam lapsum dicitur esse gratiam, atque in natura lapsa non est gratia simpliciter, sed gratia pro gratia, quia licet contingeret ex gratia, habet etiam rationem præmij & retributionis: ergo si in natura integra & in Angelis futura erat merces, & non gratia, nunc non erat futura gratia pro gratia: & tamen futura erat & retribuebunda perseverantibus: ergo perseverantia in gratia non erat tunc futura gratia. Respondetur, in natura integræ gloriæ futuram fuisse, & mercedem, & gratiam pro gratia, ut probauimus, post lapsum quoque naturam, beatitudinem futuram ipsi qui perseverabunt, & mercedem, & gratiam: nihilominus peculiari ratione dixisse Augustinum, beatitudinem, quæ primo parenti, & Angelis futura erat merces, nobis post naturam lapsum fuisse gratiam. Quia cum Angeli, & homo in natura integra habuissent iam gratiam, solum videbatur superesse beatitudo tanquam merces: a vero qui homini post naturam lapsum restituta fuit gratia, quæ omnino erat amissa, & ex qua tantum ex radice pendebat gloria: data opera Augustinus gloriam vocavit gratiam ratione gratiæ restitutionis, & nouæ gratiæ, quæ homini facta est.

ARTICVLVS IV.

Verum Angelus creatus suam beatitudinem meruit.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Angelus creatus suam beatitudinem non meruerit. Meritum enim est ex difficultate actus meritorij. Sed nullam difficultatem Angelus habuit ad bene operandum. Ergo bona operatio non fuit ei meritoria.

2. Præterea. Naturalibus non meremur. Sed naturale fuit Angelo quod conuerteretur ad Deum. Ergo per hoc non meruit beatitudinem.

3. Præterea. Si Angelus beatus beatitudinem suam meruit, aut ergo antequam

quam eam haberet, aut post: sed non ante, quia (vt multis videtur) ante non habuit gratiam, sine qua nullum est meritum: nec etiam post. Quia sic etiam modo mereretur. Quod videtur esse falsum. Quia sic minor Angelus merendo ad superioris Angeli gradum posset pertingere. Et non essent stabiles distinctiones graduum gratiæ. Quod est inconueniens. Non ergo Angelus beatus suam beatitudinem meruit.

Sed contra; Apocal. 21. dicitur, quod mensura Angeli in illa cœlesti Hierusalem est mensura hominis. Sed homo ad beatitudinem pertingere non potest, nisi per meritum. Ergo neque Angelus.

Respondeo dicendum, quod soli Deo beatitudo perfecta est naturalis, quia id est sibi esse & beatum esse. Cuiuslibet autem creaturæ esse beatum, non est naturale, sed vltimus finis. Quælibet autem res ad vltimum finem per suam operationem pertingit. Quæ quidem operatio in finem ducens, vel est factiua finis, quando finis non excedit virtutem eius quod operatur propter finem, sicut medicatio est factiua sanitatis: vel est meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem. Vnde expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem vltima excedit & naturam Angelicam & humanam, vt ex dictis patet. Vnde relinquitur, quod tam homo quam Angelus suam beatitudinem meruerint. Et si quidem Angelus in gratia creatus fuit, sine qua nullum est meritum absque difficultate dicere possumus, quod suam beatitudinem meruerit. Et similiter si quis diceret, quod qualitercunque gratiam habuerit antequam gloriam. Si vero gratiam non habuit antequam esset beatus, sic oportet dicere, quod beatitudinem absque merito habuit, sicut nos gratiam. Quod tamen est contra rationem beatitudinis, quæ habet rationem finis, & est præmium virtutis, vt etiam philosophus dicit in 1. Ethic. Vel oportet dicere quod Angeli merentur beatitudinem per eam quæ iam beati operantur in diuinis ministerijs, vt alij dixerunt. Quod tamen est contra rationem meriti. Nam meritum habet rationem viæ ad finem. Ei autem qui iam est in termino, non conuenit moueri ad terminum: & sic nullus meretur quod iam habet. Vel oportet dicere, quod vnus & idem actus conuersionis in Deum in quantum est ex libero arbitrio, est meritorius, & in quantum pertingit ad finem, est fruitio beata. Sed nec hoc etiam videtur esse conueniens, quia lib.

Respondeo in 1. p. tom. 2.

arb. non est sufficiens causa meriti. Vnde actus non potest esse meritorius secundum quod ex lib. arb. nisi in quantum est gratia informatus. Non autem simul potest informari gratia imperfecta, quæ est principium merendi, & gratia perfecta, quæ est principium fruendi. Vnde non videtur esse possibile quod simul fruatur & suam fructificationem mereatur. Et ideo melius dicendum est; quod gratiam habuit angelus antequam esset beatus, per quam beatitudinem meruit.

Ad primum ergo dicendum, quod difficultas bene operandi non est in angelis ex aliqua contrarietate, vel impedimento naturalis virtutis, sed ex hoc quod opus aliquod bonum est supra virtutem naturæ.

Ad secundum dicendum, quod conuersione naturali angelus non meruit beatitudinem: sed conuersione charitatis, quæ est per gratiam.

Ad tertium patet responsio ex dictis.

In corp. art.

CONCLUSIO est affirmans.

ARTICVLVS V.

Utrum Angelus statim post vnum actum meriti beatitudinem habuerit.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod angelus non statim post vnum actum meritorium beatitudinem habuerit. Difficilius enim est homini bene operari, quam Angelo. Sed homo non præmiatur statim post vnum actum. Ergo neque angelus.

2. Præterea. Angelus statim in principio suæ creationis in instanti actum aliquem habere potuit: cum etiam corpora naturalia in ipso instanti suæ creationis moueri incipiant. Et si motus corporis in instanti esse posset, sicut opera intellectus & voluntatis, in primo instanti suæ generationis motum haberet. Si ergo angelus per vnum motum suæ voluntatis beatitudinem meruit, in primo instanti suæ creationis meruit beatitudinem. Si ergo eorum beatitudo non retardatur, statim in primo instanti fuerunt beati.

3. Præterea. Inter multum distantia oportet esse multa media. Sed status beatitudinis angelorum multum distat à statu naturæ eorum. Medium autem inter utrumque est meritum. Oportuit igitur quod per multa media angelus ad beatitudinem perueniret.

Sed contra, anima hominis & angelus similiter ad beatitudinem ordinantur. Vnde Sanctis promittitur æqualitas.

1. h. 12. Ange.

Angelorum. Sed anima à corpore separata, si habeat meritum beatitudinis, statim beatitudinem consequitur, nisi aliud sit impedimentum. Ergo pari ratione & angelus. Sed statim in primo actu charitatis habuit meritum beatitudinis. Ergo cum in eo non esse aliquod impedimentum, statim ad beatitudinem peruenit per solum vnum actum meritorium.

Respondeo dicendum, quod angelus post primum actum charitatis quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit. Cuius ratio est, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ, sicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum eius. Est autem hoc proprium naturæ angelicæ, quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat, sicut supra ostensum est. Sicut autem ex sua natura angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam. Et ita statim post meritum in angelo fuit beatitudo consecuta. Meritum autem beatitudinis non solum in angelo, sed etiam in homine esse potest per vnum actum, quia quodlibet actu charitate informato homo beatitudinem meretur. Vnde relinquitur quod statim post vnum actum charitate informatum angelus beatus fuit.

Ad primum ergo dicendum, quod homo secundum suam naturam non statim natus est ultimam perfectionem adipisci, sicut angelus: & ideo homini longior via data est ad merendum beatitudinem, quam angelo.

Ad secundum dicendum, quod angelus est supra tempus rerum corporalium. Vnde instantia diuersa in his quæ ad angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successionem in ipsorum actibus. Non autem potuit simul in eis esse actus meritorius beatitudinis & actus beatitudinis, qui est fructio, cum vnus sit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ consummatæ. Vnde relinquitur, quod oportet diuersa instantia accipi: in quorum vno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.

Ad tertium dicendum, quod de natura angeli est quod statim suam perfectionem consequatur ad quam ordinatur. Et ideo non requiritur nisi vnus actus meritorius, qui ea ratione medium dici potest: quia secundum ipsum angelus ad beatitudinem ordinatur.

CONCLUSIO est affirmans. Circa hos duos articulos ea, quæ difficilia sunt, sequi examinabimus.

ARTIC. V.

DISPUT. CCXXIX.

Utrum Angelus post actum meriti, an post plures beatitudinem consequutus fuerit.

Angelos promeritos fuisse beatitudinem. cap. 1.

Angelos per opera sequentia beatitudinem cum suis promeritos, senserunt Magister, & alij. cap. 2.

Præcedens opinio refutatur. cap. 3.

Simul duratione Angelos fuisse beatos & meruisse suam beatitudinem multi alij Scholastici docuerunt. cap. 4.

Varijs modis præcedens opinio explicatur & defenditur. cap. 5.

Quid de hac re sentiant Caietanus & alij. cap. 6.

Posterior pars præcedentis opinionis requiritur. cap. 7.

Aliæ Theologorum opiniones. cap. 8.

Ferrariensis sententia. cap. 9.

Probabilior opinio. cap. 10.

Confirmatur præcedens sententia. cap. 11.

CAPITUL.

Angelos promeritos fuisse beatitudinem.

ANequam procedamus ad disputandum id, quod in controuersia apud Scholasticos positum est præmittere oportet, Angelos vere fuisse promeritos suam beatitudinem, quod nullus hactenus negare ausus fuit: id vero expresse docuit S. Thom. in art. 1. & recentiores Theologi cum Caietano. ibidem. & Scholastici omnes locum inferius allegandis. Fuit quoque expressa Augustini sententia lib. de correctione & gratia cap. 11. post medium, ubi inquit, bonos angelos stultis, alijs cadentibus: & huiusmodi mansionis debitam mercedem recipere meruisse, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quæ eis certissimum sit, semper se in illa mansuros. Hoc autem sequitur ex sententia, quam sequuti sumus disput. 23. tempore angelo non fuisse in beatitudine creatos. Nec minus aut magis certum esse debet, angelos meruisse beatitudinem, quam in ea creatos non fuisse: si enim creati essemus in beatitudine, illam meriti non potuissent. Si autem in beatitudine creati non fuerunt, cum postea illam fuerint adepti, unde de fide est, consequitur, illam meruisse, sicut homines: neque enim angelis, qui natura sua non sunt ita imbecilles, sicut hominibus non fuit meritis conceditur.

Adducit autem S. Doctor art. 4. in argumento. Sed contra, ad confirmandam hanc veritatem illud Apocal. 21. *Mensura hominis, quæ est angelis, ubi locum describit mensuram ciuitatis sanctæ quam viderat. Ex quo loco sic arguit, mensura illius ciuitatis eadem est in homine, & angelo, sed in homine mensura est meriti: ergo & in angelis. Verum hic sensus alienus omnino est à contextu capituli: cum enim dixisset Ioannes, cum, qui cum ipso loquebatur, mensem fuisse ciuitatem, & mensuram fuisse cubitorum, ne aliquis existimaret, se hominem, qui cubitis mensus fuerat ciuitatem, subiungit, *Mensura hominis, quæ est angelis*: ac si dicere, licet ea mensura videatur esse hominis, tamen reuera erat angeli sub specie hominis mententia ciuitatem illam non mensura in intellectu, sed humana, quæ est cubitorum. Ita explicat hanc locum Areta. Alij vero exponunt de Christo, qui simul*